



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXXIX. De Disputatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

conf. 333. Statuto, Tudertino, ubi quod stante statuto prohibente mulierem posse contrahere, vel testari sine praesentia fratris, vel proximiorum, intelligitur de habilibus de jure, & de facto, Armendar. in addit. ad recopil. legum Navarrae, in proem. num. 38. Cardin. Tusch. d. tom. 2. lit. D. conclus. 505. Mari. Antonin. var. resolut. lib. 2. resol. 40. n. 5. & 6.

XVII.

DISPOSITUM in principali censetur etiam dispositum in dependentibus, Seraphi. de privil. juram. privil. 74. num. 184.

XVIII.

DISPOSITUM in uno exaequiparatis, etiam in altero militat, quamvis materia sit exorbitans, Reinoso in observ. practis, observ. 44. num. 3. & observ. 70. n. 51.

CAP. XXXIX.
De Disputatione.

Axioma I.

Ab omni aeo dignissimum creditum est studiorum experimentum committere, artes corporum & vocum praestantiam expendere. Terrull. advers. Gnosticos.

II.

Nemo est quem non pudeat convinci disputantem. D. Augusti. Soliloq. cap. 7. hinc Cujacium in disputatione pro Cathedra Bituricensi turpiter stetitisse diffusè narrat Joh. Robert. 1. animadvers. ult. quod quanquam tactum diffiteatur, Mercator. 1. not. ult. exemplo tamen inservire debet. v. Osium in praefat. dispunct. ad Metill.

III.

Inanis est disputatio, quae fit sine cedendi voluntate. Niceph. Gregor. lib. 10. cap. 11.

IV.

Disputando & opponendo veritas luculentior apparet. l. 2. §. ex legibus, de O. I. l. cum quidam 19. ibique Jason. in 6. notab. de lib. & Postb. l. Offidius 97. de leg. 3. Cravetta 6. conf. 985. num. 4. Francisc. Caldas conf. 9. n. 1. unde & notando & disputando optimè profici, colligere licet ex l. 18. §. 26. ff. de mun. & bon.

CAP. XL.
De Dissensione, dissensu,
discrepantia, vid. Consensus
contrarius.

Axioma I.

Multae Dd. controversiae ex contradicendi libidine sunt ortae. Ratio, quia naturalis est hominibus ad dissentendum facilitas. l. 17. §. 6. de recept. arbitr. Exempla ex veteribus habemus Julianum & Marcellum, Cujac. 14. obs. 35. unde ex ea ipsa ratione vera facilius praesumebatur Juliani sententia, quod ei Marcellus consentiret.

vid. l. 27. §. 3. Ad legem Aquil. l. 2. §. 1. de nox. act. & aliud in l. 3. §. 7. de condit. caus. dat. ubi Celsus filius à patre dissentit. Idque non mirum esse ait Cujac. in recit. ad l. 5. de ann. leg. nam quod Marcus Tullius dixit de Philosophis quibusdam: nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur à quodam Philosophorum: Idem etiam de Dd. dici potest.

II.

E duabus diversis sententiis utraque suo respectu & modo vera esse potest. l. si finita. 15. §. illud queritur. 32. de dam. infect. Cujac. in not. ad lib. 2. animadvers. Robert. cap. 28.

CAP. XLI.
De Dissolutione.

Unumquodque eodem modo dissolvitur, quo colligatum est. l. 35. 100. 135. de Reg. Jur. Exempla in jure passim occurrunt: sicut nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest, ita nec amitti nisi utrumque in contrarium actum l. 8. ff. de acquirend. vel am. poss. Hinc Philosophi eadem principia destructionis, quae constructionis, dicunt, indeque fit, quod naturalia naturalibus & civilia civilibus modis tollantur. Hippol. de Collib. ad d. l. 35. de R. l.

Declaratur haec regula à Decio, Petro Matthaei, Bronchorst & aliis ad d. l. 35. quasi iis tantum modis, quibus quid contractum est, etiam debeat dissolvi per l. 80. de sol. Ideoque varias exceptiones comminiscuntur. Sed obstat, quod contractus plures morte solvantur, qui tamen vitia non constituuntur: & verbales contractus etiam reali solutione & compensatione perimantur, quae tamen ad sui constitutionem rei interventionem non requirunt. Verior ergo est gloss. ad d. l. 80. verbo solvi explicatio: quod scilicet modus solvendi maxime naturalis sit idem qui constituendi. d. l. 35. ibi: nihil tam naturale: ut modi tamen minus naturales & civiles non excludantur. 2. accipienda est regula de causis in contrarium actis. l. 100. de R. l. 3. de causis simul junctis. Itaque inepta est limitatio in causis matrimonii, quod licet consensu constituatur, dissensu tamen non dissolvatur. Non enim hominum solum consensu consistit, sed & verbi divini auctoritate vid. l. 1. C. Quand. lic. ab emt. reced. Diodor. Tuld. p. 1. Jurispr. extemp. 29. p. 163.

CAP. XLII.
De Distinctione.

Axioma I.

Lege non distinguente non nostrum est distinguere. l. 2. §. 5. ff. de vi bon. rapt. l. à procuratore 11. C. mandat. §. 3. vers. & haec. Inst. de legit. agn. tut. l. 29. §. ult. ibi: quia non praesinitur tempus, de vi et. l. 64. §. 9. ff. solut. matrim. l. 4. ibi: Praetor de hoc nihil adjecit. si à parent. manum. cap. 2. extra, de conjug. leprosis. Bocet. lib. 1. de bell. & duell. cap. 28. num. 11. Gail. 2. observ. 33. n. 2. Tuschus 1. conclus. 133. n. 6. Jacob Curtz. Conject. 10. Cujac. l. 1. 99. Pap. ad l. 8. de post.